



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXCVI. Ioannis Papae VIII. Ad Anspertvm Archiepiscopvm  
Mediolanensem. Arguit quod sedi apostolicae obediens non fuerit, eiusque  
legatos iniuriose tractarit, & excommunicatus Missas ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CXCVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANSPERTVM ARCHIEPISCOPVM  
MEDIOLANENSEM.

Arguit quod sedi apostolicæ obediens non fuerit , eiusque legatos iniuriose tractarit , & excommunicatus Missas celebrarit. Ideo monet , vt ad Synodum se purgaturus quamprimum vel per se , vel per legatos accedat.

*Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.*

**T**ANTIS , heu proh dolor ! transgressionibus inueniris obnoxius , quantis nullus de ecclesia Mediolanensi aliquo modo est inuentus : in primis quod nostri operis , atque laboris nolueristi socius esse ac particeps , sed apostolicæ sedi proterue , inobedienter , ac procaciter resultasti ; deinde legatos nostros Ioannem Ticinensem , & Vvalpertum Portuensem episcopos e latere nostro ad te directos non suscipiens , præ foribus portæ diu tibi nostra commonitionis verba facientes , quatenus nobis , aut per te , aut per legatum tuum , tuam more prædecessorum tuorum condignam obedientiam exhibere debuisses , irreuerenter stare fecisti ; nullamque illis reuerentiam , vel auditum accommodare dignatus es : sed sicut aspis farda contra caritatis affectum viscera cordis & aures valide obturasti . Pro quibus , & his similibus te tamdiu communione priuauimus , Missarumque celebratione , donec nobis occurres , & aut per te , aut per vicarium tuum cuncta errata corrigeres , & sic te demum personaliter in nostrum consortium admitteremus . Sed in despectum , & iniuriam paternorum Canonum excommunicatus a nobis , sacrum ministerium agere , Missamque celebrare præsumpsisti ; de quo sollicite voluimus parcere tuae senectuti perquirentes : sed adeo verum esse deprehendimus , vt \* præsentium videtur , vide- licet presbyter lator non fuerit ausus coram collegio co- episcoporum pro vobis hoc satisfacere . Quapropter , quia Nicen.c.s. Domino auxiliante , secundum statuta Canonum circa autumni tempus Synodum sumus celebraturi , ad quam te

volumus omni occasione postposita sine mora venire , aut legatos dirigere : & dum , Christo opitulante , perpetrata transgressionis purgaueris , te in communionem omnimo- dis recipiemus . Data vt supra .

## EPISTOLA CXCVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM REGEM.

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam eccliam . hortatur vt ad eam a Paganorum incursio- nibus defendendam veniat ; eique tacite imperium pollicetur .

*Dilecto ac spiritali filio Ludouico glorioſo regi .*

**V**ESTRÆ regiæ serenitatis mellifluis relectis apicibus , quos per Astaldum insignem comitem vestrum nobis mandaſtis , quantam deuotionem , ac sincerissimam voluntatem exaltandi & defendendi ecclesiam Dei , more videlicet parentum vestrorum gloriosissimorum imperatorum habeatis , luce clarius nouimus . Vnde valde gauſi exiſtentes , maximas excellentiæ vestræ agimus gratias , quia nobis inter tot angustias , & persecutions , quas a Paganis affidue ſupra modum patimur , vestræ inuiſtæ potentia auxilium , defenſionisque ſolatium pia dumtaxat animi deuotione conferre omnimodis cupiatis . Ideo fili cariſſime , noſtræ apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ vt accommodetis , obnixe precamur , vt citius nobis veftro potenti brachio ſubuenire ſtudeatis : quatenus ſanctam Dei ecclesiam in magna nunc fluctuatione poſitam , ad portum ſalutis , & tranquillitatis efficaciter perducatis , & terram perditam per vos , Deo propitio , ad pristinam reuocetis in columitatem , vt ex hoc , & apud omnipotentem Dominum dignam valeatis mercedem recipere , & in praefenti ſeculo laudabile nomen omnimodo acquiratis . Quapropter ſcitere pro certo , quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam , & exaltationem a præcessoribus noſtris percepit , quantum nos vobis , ſi veneritis , totis multipliciter viribus desideramus impendere . Porro de hoc , quod mandaſtis , vt pro eu-

*Concil. Tom. 24.*

Dd ij